simul et excelsa quod tuam sanctitatem quoque uidisse non ambigo ut
doctioribus solum intellegi queant. Audibus uero fastidiosis ue lectoribus
quales in pretium eo plures inueniet perfectiores uel ad sequendi quae dis
serta sunt tepidi ad quaesita. Nequerenda quidem quasi celsiora nec quasi
se fortiora putentur esse scrutanda. Nec parum dedit indicii doctissimus
pater augustinus qui ad paulinum dei famulum de uidendo deo scribens.
Non alius magis quam et hoc opusculo sumpsit beati ambrosii testimoniis
putauit utendum. Et ea pariter non solum ponenda simpliciter sed etiam
exponenda iudicauit. Adeo ex paucissimis memorati tractatoris sententiis
non paruum uolumen retractando confecerit. Quod ideo commemorandum
putaui ut et tua sanctitas fraternitas et legentes simul agnoscerent. Volo enim
compleas ac per dei auxilium opere quod postulo hanc simul epistolam in capite
praeponi te non ob aliam quam condiscensionis fraternae gratiam in lucam scribere
rogatum. Ne qui ob te(ne)ritudinem ingenii sublimia uel difficilia intellectu ca
pere nequeant. Haec simpliciori stilo exposita facilius apprehendant.
Ergo tu dilectissime memorato operi sedulus insiste. Beatum lucam luci
lento sermone expone; et quia sanctus ambrosius quaedam indiscussa praeterit
quae illi quasi summae eruditionis uiro plana nec quaesitu digna uidebantur
haec quoque perspectis aliorum patrum opusculis diligentius uel auctorum
dictis explanare curato. Credo etenim tuo uigilantissimo studio quem
legendi meditandi dies noctesque duces peruigiles. Nostis illis etiam in locis
quae habes intermissa sunt quid sentiri debeat auctor lucis aperiet.
Iustum namque perfectum et supernae pietatis atque aequitatis moderamini conue
niens ut qui neglectis adulterum mundi negotiis aeternum uerum
que sapientiae lumen indefessa mente persequeris. Et hic fructum intel
legentiae adsequaris. Et in futuro ipsum in quo sunt omnes thesauri sapi
entiae et scientiae absconditi regem in decore suo mundo corde contempleris.
Intimandum sanctitati tuae scitum credidi quod mouet quosdam quare in ex
positione apocalipsis ubi ad IIII animalia uentum est noua interpreta
tione matheum in leone marcum in homine designatum dixeris.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Paris, BNF, Baluze 270, f. 124-131 + Paris, BNF, lat. 5288, f. 34-41, ParisBNFlat05288_079_f035r – Bede's commentary on Luke (https://fragmentarium.ms/view/page/F-s74n/437/6486)